



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De forma baptismi. Quod Apostoli in nomine Christi baptizauerunt. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

QVID SIT BAPTISMVS.  
DISTINCT. III.

*De speciali  
Baptismo.*

*Aug. illud  
Ioan. 15. Iam  
vos mundi  
ostis.  
Tract. 80 in  
rom. 8.  
Ibidem ferè  
continuo.*

**P**ost hæc videndum est, quid sit baptismus, & quæ sit forma, & quando institutus, & causa institutionis. Baptismus dicitur intinctio, i. ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. Si n. ablutio fiat sine verbo, non est ibi sacramentum: sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum: non utiq; ipsum elementum fit sacramentum, sed ablutio facta in elemento. Unde Aug. Verbo baptismi consecratur, detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Unde est hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus intus manens. In duob. ergo consistit sacramentum baptismi, scil. in verbo & elemento. Ergo etsi alia desint, quæ ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum sacramentum & sanctum, si verbum sit & ibi elementum. Nam & in hoc sacramento & in aliis quædam solent fieri ad decorem & honestatem sacramenti, quædam ad substantiam & causam sacramenti pertinentia. De substantia huius sacramenti sunt verbum & elementum, cætera ad solennitatem eius pertinent.

*De forma Baptismi.*

*Mat ult. c. d*

*Zach. Boni-  
fac. Episc.  
Mogunt.*

**S**ed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit sacramentum? Veritas te docet, quæ huius sacramenti formam tradens ait discipulis. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & Spirit. S. Inuocatio igitur Trinitatis verbum dicitur, quo baptismi consecratur: & hæc forma verborum sub qua traditur baptismus. Unde Bonifacio Episc. Zacharias Papa ait, Firmissime præceptum est in synodo Anglorum, ut quicumq; sine

fine inuocatione Trinitatis merfus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum est, quod si merfus in fonte baptis- mi quis fuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine patris & filii & Spir. S. fuerit baptizatus. Legitur tamen in Act. A- postolos baptizasse in nomine Christi, sed in hoc nomine, vt exponit Ambr. tota trinitas in- telligitur. Intelligitur enim cum Christum dicis, & pater à quo vnctus est, & ipse qui vnctus est, & Spir. S. per quem vnctus est. Vnde Nicolaus Pap ad consulta Bulgarorum, A quodam Iudæo multos bap- tizatos asseritis, & quid inde agendum sit con- sultis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in actibus Apostolo- rum legimus, baptizentur: baptizati sunt, vnum enim idemque est, vt exponit Ambros.

*Lib. de Spir. S. ante me- dium, ca. 3. Nic. 1.*

*Si in nomine Patris tantum vel Spiritus sancti possit tradi-  
baptismus.*

**C**

Hic quæritur, An baptismus esset verus, si dice- retur in nomine patris tantum, vel spir. S. tantum: vt cum dicitur in nomine Christi? Ambr. videtur dicere, quod si fide mysterium trinitatis teneatur, & vna persona tantum nominetur, plenum esse sa- cramentum: & è cōuerso si tres nominentur & non rectè de aliquo illorum sentiatur, vacuū fieri my- sterium Trinitatis. Ait enim sic. Vbi nō est plenum baptismi sacramentum, nec principium, nec spe- cies aliqua baptismi æstimatur. Plenum autē est, si patrem & filium & spir. S. fatearis. Si vnum neges, totum subruēs: & sicut si vnum in sermone com- prehēdas, vel patrem, vel filium, vel spiritum, fide autem nec patrem, nec filium, nec spir. S. abneges, plenum est fidei sacramentum: ita etiam licet pa- trem & filium, nec spir. S. dicat, & patris & filii & spir. S. minus potestatem, vacuum est omne my- sterium. Cum enim dicitur in nomine Christi, per

*In li de Spi- ritu S. ad pr. c. 3. in to. 1.*

*Ibid. paulo inferius. Ioan. 1. a Act. 1. c*

Yy vnita-